



Gummelstrand

M-s. 201  
3.

295.

3

D E

Π Α Λ Ι Γ Γ Ε Ν Ε Σ Ι Α ,

PHILOSOPHVMENΑ ET THEOLOGVMENΑ

---

S A C R I S A N N I V E R S A R I I S

R E D I T V S A D V I T A M D O M I N I C I

A · I · S · M D C C L X I I

I N

A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A

P · P

---

H E L M S T A D I I

F O R M I S L I T T E R A R V M S C H N O R R I A E V I D V A E

A C A D ' T Y P O G R





ACADEMIAE IVLIAE CAROLINAE III  
PRORECTOR ET SENATVS

CIVIBVS DILECTISSIMIS

S· D· P

**I**ESVM, mortuorumque resurrectionem Atheniensibus nuntians diuus PAULLVS, cum quotidie in foro, vt quisque occurrerat, disputaret, ac cum Epicureis, Stoicisque philosophis congrederetur: non nouam colum loqui doctrinam credebatur, sed, *σπερμολόγος*, garrulus, et nugator ab illis dictus, deridebatur, ipsiusque sermo, audita mortuorum resurrectione, ληγών λόγος, *nugatoria oratio* habebatur. Neque in his acquiescebant coniiciis, sed, maxima incensi ira, cum senatus et forum areopagiticum de rebus, quae ad religionem spectant, statueret, ad quod sacrorum mysteriorum contemtus, nouorum deorum consecratio, nouaeque diuinis cultus caerimoniae, praeter multas alias maximi momenti res, referebantur, PAVILVM prehensum in martium collem duxerunt, vt nouae suae doctrinae rationem redderet. Sic eum enim adloquebantur: *possimusne seire, quae sit noua ista, quam tu loqueris, doctrina.* In grauissimo hoc

A 2

iudicio,

iudicio, quod ARISTIDE teste, τῶν ἐν τοῖς Ἑλλήσι δικαστῶν τημώτατόν εἴη ναι αἰγάλεωτον, totius Graeciae honoratissimum sanctissimumque est tribunal, de mortuorum resurrectione locutus diuus apostolus, statim illa audita, ab aliis ludibrio habitus, ab aliis aliud in tempus dimissus est. Quod si Athenas, celeberrimam Graeciae ciuitatem, omnium doctrinarum fuisse inuentricem, maximamque cogitamus hominum eruditissimorum in hac vrbe frequentiam, ex omnibus vbi scholis philosophi, oratores, alii que erudit conueniebant; quod si senatorum praeterea areopagitarum multitudinem, sapientiam, et morum probitatem apud animum reputamus: 2 quomodo tot, tamque sapientibus viris de resurrectione doctrina aut noua, aut, quod magis est, nugax videri potuerit, aliquam nobis admirationem mouebit. Accrescit haec admiratio, si, quae de παλιγγενεσίᾳ in veterum philosophorum scriptis pasim occurrint, considerauerimus, ex quibus, mortuorum resurrectionem illis, qui hos libros versauerint, non prorsus fuisse ignotam, facile coniicimus. Qui igitur fieri potuerit, miramur, ut philosophi Atheniensis,

<sup>1</sup> Confer. Act. XVII, 17. 18. 19.  
32. — Luc. XXIII, 11.

<sup>2</sup> De senatu et foro areopagitico fuisus agit JOHANNES POTTERVS in Archaeolog. Graeca Tom. I. Libr. I. Cap. XVIII. p. m. 100 - edit. Venet. alterius 1734. unde trecentos nonnullam fuisse senatores, omnes morum integritate, sapientiaeque laude conspicuos, maximamque omnium erga hanc concessionem fuisse reverentiam, in qua ne ridere quidem licebat, prae-

ter alia, constat: quae omnia hanc admirationem augent. Multi igitur, in quibus GROTIUS, in hanc ingressi sunt sententiam, non ad iudicium ductum esse PAVLVM, sed ad eius tantum locum, quod ibi multi esse solerent homines eraditi. v. Critic. Angl. Tom. III. p. 2345. edit. Francof. praesertim cum PAVLVM ibi derisum esse, quod summae est lenitatis, tefletur LVCAS. Sed degenerauit paulatim ista grauitas, et seueritas.

ses, Epicurei, Stoici aliique nouam habuerint doctrinam, quae ex suorum scriptis satis illis nota esse debebat. Et iam si de Epicureis, animorum qui immortalitatem negabant, illos mortuorum resurrectionem nouam habuisse doctrinam, eamque docentem exsibilasse, vere dici potuisse: Stoicos id tamen neutiquam ex philosophiae suae preceptis facere potuisse, arbitrabimur, quibus omnium rerum, atque adeo hominum quoque mortuorum restitutionem docebant. Athenis praeterea, ubi philosophiae primaria erat sedes, neque barbarica philosophia omnino erat ignota, in qua de ista παλιγγενεσίᾳ plura itidem disputantur. Tamdem ista quoque admiratio ipsius huius doctrinae contemplatione augebitur, quae nugarum nihil, sapientiam vero magnam prodit, praesertim cum ipsis rationi neque οὐδὲν, neque improbabilis, sed verisimilis maxime, atque opinabilis videatur.

Decrescer vero haec admiratio iam aliquantum, gentium philosophis si resurrectionem prorsus fuisse ignorantem, aliunde probauerimus. Ut ex multis, qui a theologia hunc in finem congesti sunt, 3 locis quosdam tantum hic adducamus, apud EVRIPIDEM legimus: 4

Οὐκ εἴ τε τές θανότας ἐς Φάως μολέν

Non fieri potest, ut defuncti in vitam redeant.

apud AESCHYLVUM: 5 ἀπαξ θανότος δὲ οὐκ ἀνάστατος, qui semel mortuus est, non resurgit, et apud THEOCRITVM spes nulla sepultis. Quin PLINIVS mortuorum resuscitationem vocat puerilia deliramenta, et addit: quae ista dementia est, iterari vitam morte. 6 De gentilium risu,

A 3

quo

3 Videantur plures apud GERHARDVM in Loco de Resur. Mort. §. 36. QVENSTEDTIVM in Syst. Theol. P. IIII. p. 586.

4 Alcest. Act. V.

5 In Eumenide p. 295.

6 Hist. Nat. Libr. II. Cap. VII. et Libr. VII. Cap. LV.

quo ob hanc doctrinam christianos proscindebant, con-  
querebatur olim ARNOBIVS: 7 *Audetis ridere nos, quod  
mortuorum dicimus resurrectionem futuram.* Et ATHANASIVS,  
ne cogitatione quidem ad hanc doctrinam delabi-  
potuisse gentiles, fatetur: 8 *καὶ περὶ τοῦ πάντως φευσά-  
μενοι ἔλληνες, ὅμως ἐπὶ ιδίων θεοῖς αὐτοῖς τῶν ἑαυτῶν εἰδό-  
λων πλέσται θανατοῖς, ἐπὶ ἐνθυμέμενοι τῷ σύνολον, εἰ ὅμως δινετὸν  
μετὰ θανάτου ἔναν πάντα τὸ σῶμα, παντα et Graci quidvis,  
non potuerunt tamen idolis suis resurrectionem admittiri,  
quippe quibus nulla ratione in mentem venire potuit, corpus  
post mortem denovo exsistere posse. Plura testimonia congere-  
re supersedemus, ex his cum satis iam constet, quam huius  
doctrinae fuerint expertes gentiles: ne in alienam messem  
falcem nostram immittamus.*

Omnem vero, quae nos adhuc tenere posset  
ancipites, ut prorsus dislipemus admirationem, num  
ex sua de παλιγγενεσίᾳ doctrina mortuorum resusci-  
tationem philosophi concludere potuerint, accura-  
tius iam inquire, constituius. Quaestio vero haec  
ut iusto ordine, debitaque perspicuitate expediatur, de  
παλιγγενεσίᾳ, cuius et in philosophorum scriptis, et in  
oraculis diuinis sit mentio, separatim agendum erit, ita  
ut disputatio nostra φιλοσοφίαν et θεολογίαν de παλιγ-  
γενεσίᾳ coniunctum complectatur.

Παλιγγενεσίᾳ, quod vocabulum latine *renationem*,  
restitutionem, nouum quasi ortum interpretamur, 9 ve-  
terum philosophorum complures futuram esse, credide-  
runt. A barbaris philosophis ut disputationis nostrae si-  
at initium, Indorum philosophos, quos gymnosophistas  
Grae-

7 contra Gent. Libr. II.

8 de Incarnat. Verbi Dei p. 77.

9 Sunt, qui *renaſcentiam* dice-  
re malunt, licet a VITRUVIO  
saltim *renaſcentia* dicta sit. Na-

tio vero cum saepius nascendi  
conditionem significet, nos  
*renationem* potius interpreta-  
mur.

Graeci appellant, futurae vitae beatitatem et παλιγγενεσίαν seu melioris sortis renationem, adseruisse, constat. Fragmenta quaedam dogmatum illorum, cum ab ipsis Indorum philosophis nulla amplius superent scripta, praeter PALLADIUM exhibent STRABO, PORPHYRIVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, PLVTARCHVS, atque ARRIANVS. In his CLEMENS ALEXANDRINVS πατοφρεντιδεῖ, inquit, Σαράτα, ταῦ πατέρων ἡδὲν πρέπει τὸ ζῆν. ΗΕΙΘΟΝΤΑΙ ΓΑΡ, ΕΙΝΑΙ ΠΑΛΙΤΕΝΕΣΙΑΝ, mortem autem contennunt, et vivere nibili faciunt: credunt enim esse renationem. <sup>10</sup> Non desunt, illorum παλιγγενεσίαν resurrectionem indicare, qui sibi persuadent. Sed totum Indicae philosophiae systema si accuratius paullo consideramus, emanatiuum illud, ut omnium barbarorum philosophorum, suisse apparebit. <sup>11</sup> Ex quo sequitur, ut παλιγγενεσία illa nihil aliud esse possit, quam periodica restitutio omnium rerum. Sieci ex deo enim omnia emanasse, ita in illum eadem remeare, atque in orbem quasi fluere, opinati sunt. Quae opinio, cum per omnem fere orientem olim inualuisset, hodiernis quoque Indis arridet. <sup>12</sup> Chaldaeorum enim sacerdotes, Persarumque magi eiusmodi in orbem rerum defluxum sempiternum similiter docuerunt. Quantum vero ista παλιγγενεσία a doctrina de mortuorum resurrectione differat, qua, IESVM mortuos resuscitaturum esse, traditur, facile inde colligitur, quod illa necessaria, in aeternumque repetenda singitur, qua continuo ex deo decursu et recursu res restituuntur,

nostra

<sup>10</sup> Stromat. Libr. III. p. 451.

<sup>11</sup> Vid. programma nostrum, quod inscribitur: *Vestigia perplexa doctrinae de hominum mediatore apud antiquiores*

genitium philosophor., pag. VIII.

<sup>12</sup> vid. IAC. BRUCKERI V. C. Histor. Critic. Philos. Tom. I. Libr. II. Cap. III. p. 207.

## VIII

nostra vero semel peracta non iteratur, libereque a deo perficitur.

In graecis philosophis Stoici potissimum similem fere παλιρρηεστιαν docuerunt. Zenonii hi philosophi fato suo mundo inundationem et conflagrationem imminere, statuebant. Posteriorem hanc εκπυγωσσω talem sibi mente sua fingeabant. Vniuersi natura cum ita connectatur, et catenae instar inter se omnia sequantur, ut a principio ad finem cuncta decurrant, et ab eo in circulo ad initia sua recurrent, atque in orbem vertantur: necessario eiusmodi mundi finem statuendum esse, quo ignis ille, mundi artifex, quem deum dicebant, qui, ex chao quasi erumpens, rebus omnibus et formam dederit, et permeando illas et viuiscando sustentauerit, consumto tamdem nutrimento, siccitatem inducat et conflagrationem, qua cuncta in unam conflabuntur massam, et in pristinum reducentur chaos, ex quo post aliquam quietem ignis ille diuinus nouum iterum mundum producit, idque aeternis vicissitudinibus repetet. <sup>13</sup> Nouum hunc mundum initio quidem integrum fore, hominemque scelerum inscum, melioribusque auspiciis natum. Sed non diu duraturam illam felicitatem, quod ex materiae natura, quam totam emendare deus s. ille ignis diuinus, non possit, necessario sequeretur, priorem redire corruptionem. Fatalem igitur ac necessariam, legibusque mechanicis consecuturam esse hanc conflagrationem, aeternisque reperendam periodis statuebant, quae quo minus prior corruptio iterum irrepat, impedire nequeat. <sup>14</sup> Rebus ita omnibus post conflagrationem in pristinum statum restitutis et rede-

<sup>13</sup> Copiose atque eleganter de  
hac Stoicorum εκπυγωσσω egit  
IVSTVS LIPSIUS in Physiologiae Stoicorum Libr. II. Disser.  
XXII. Oper. Tom. IIII.

p.m. 955. ed. Vesal. vbi perspicuo ordine, quando, quomodo, et quo fine fiat, disquirit.  
<sup>14</sup> vid. BRUCKERVS l. c. pag.  
947. 948.

redeuntibus per orbem, reddituros etiam homines. Qua de Stoica resurrectione eleganter SENECA, qui illorum systema physiologicum et morale, adiecit pluribus aliorum praceptis, fecutus est: *mors, quam pertineſcimus ac recuſamus, intermitit vitam, non eripit. Veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies, quem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret.* Sed postea diligentius docebo, omnia, quae videntur perire, mutari. Aequo animo debet redditurus extre-  
re. Obſerua orbem rerum in ſe remeantium: videbis, in hoc mundo nihil exſtingui, ſed vicibus descendere ac ſurgere.<sup>15</sup> Ex iis, quae de mundi exuſtione, eamque fecutura ho-  
minum resurrecione huic uſque dicta ſunt, ſatis, credo, luculentter apparebit, quantum haec a christianorum re-  
ſurrecione diſferant: ut igitur, veteres quosdam aequē atque HUETIVM<sup>16</sup> vtramque miſcuiffe, miremur. Sto-  
ica enim resurrecțio fato stoico i. e. fatali neceſſitate acci-  
dit, christianorum a libero dei decreto proficiſcit. Illa legibus mechanicis conſequitur, haec CHRISTI iudicis ac legati voce peragitur. Prior aerernis vicibus repetitur, posterior ſemel tantum fit. Stoica resurrecțio homines non reſtituit meliores et feliciores, ſed in priftinam de-  
trudit miſeriam, ob eamque cauſam SENECA addit: *bunc diem multos recuſaturos, niſi oblitos reduceret;* noſtra vero ad vitam aerernam, ſuppliciumue aerernum homines re-  
ſuſcitat.

Talis deus, quem Stoici ſibi fingunt, teste PHILON<sup>E</sup>,  
<sup>17</sup> ſimilis foret pueris, qui ſaepē iuxta littora per lufum ex arena tumulos excitant, poſteaque manibus illos ſuis iterum deſtruunt. Quae ridicula Stoicorum multos mo-  
nere BOETHIUM, POSIDONIUM, DIOGENEM BABYLO-

B

NICVM,

<sup>15</sup> Epiftola XXXVI.<sup>17</sup> de Incorruptibil. mund. p.<sup>16</sup> Quæſition. Alnetan. Libr. II. 261.

Cap. XXIII.

## X

NICVM, et PANAETIVM, quibus ZENONEM SIDONIVM addit LIPSIUS, vt insulfam doctrinam abiicerent. 18  
 Qui igitur Athenis cum PAVLLO contulerunt Stoici, eadem forsan fuere sententia, vt hanc Stoicorum παλγυγεστῶν riderent, atque adeo PAVLLI etiam de hominum reditu ad vitam doctrinam. Quamvis vero et illam approbauerint, tantum cum sit vtriusque doctrinae discrimen, vt supra ostendimus, neutiquam tamen ex illa ad huius cognitionem peruenire potuerunt vniquam.

Perpetuae huius mundorum successionis symbolum erat phoenix, avis ex cineribus resurgens, in eosque iterum redigendus perpetuo quadam, semperque duratu circulo: de qua alite ita OVIDIUS cecinit: 19

Vna est, quae reparet, seque ipsa reseminet, ales.  
 Assyrii Phoenica vocant, non fruge, neque herbis,  
 Sed turis lacrimis, et succo viuit amomi.  
 Haec vbi quinque suae compleuit saccula vitae,  
 Ilicis in ramis, tremulaeue cæcumine palmae,  
 Vngibus et pando nidum sibi construit ore.  
 Quo simul ac casias, et nardi lenis aristas,  
 Quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha;  
 Se super imponit: finitque in odoribus aeuum.  
 Inde ferunt, totidem qui viuere debeat annos,  
 Corpore de patrio paruum phoenica renasci.

Ab hac descriptione param discrepant, quae PLINIVS de phoenice scribit: 20 Aethiopes atque Indi, discolores maxime et inenarrabiles ferunt aues, et ante omnes nobilem Arabia phoenicem: haud scio an fabulose, vnum in

18 vid. BRUCKERVS I. c. p. 20 Hist. Nat. Libr. X. Cap. II.  
 947.

19 Metamorphof. Libr. XV, 170. edit. Froben. Basil. 1545. p.  
 392.

in toto orbe, nec visum magnopere. Aquilae narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetera purpureus, caeruleam roseis caudam pennis distinguentibus, crictis faciem caputque plumeo apice cohonestante. Primus arque diligentissimus rogoratorum de eo prodidit Manilius, senator ille maximis nobilis doctrinis doctore nullo: neminem existisse qui viderit vescentem: sacrum in Arabia soli esse, viuere annis DCLX, senescentem casia turisque surculis construere nidum, replere odoribus, et superemori. Ex ossibus deinde e medullis eius nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum. Princípioque iusta funeri priori reddere, et totum deferre nidum prope Panchiam in foliis vrbum, et in ara ibi deponere. Cum huius alitis vira magni conuersiōnē anni fieri prodit idem Manilius. Tantum igitur abest, vt graecos philosophos phoenicem hunc resurrectionis vel animi immortalitatis symbolum habuisse putem, quod magna nouae doctrinae ostentatio a quibusdam fieri memini, vt Stoicam porius παλιγγενεσίαν illo indicari, certissime mihi persuadeam. Iteratis enim semper vicibus, fatali visibilitudine, hanc phoenicis παλιγγενεσίαν fieri, arbitrabantur, quae a mortuorum resurrectione quam longissime distat. 21

Quae de plantarum παλιγγενεσίᾳ, qua ex plantae cincere eiusdem figurae noua, chemiae ope, produci dicuntur, et cuius apud veteres nulla exstat mentio, docet ATHANASIVS KIRCHERVS, 22 ea illorum, qui huius artis sunt periti, relinquimus iudicio. Num tale artificium, quod resurrectionem fieri omnino posse, ex natura probaret, praestari possit, nec ne, isti statuant. Nobis

B 2 ex

21 Ex instituto de hoc alite egit fert. VIII. p. 78. sequ.

JACOBVS THOMASIVS de 22 In mundo subterraneo pag.  
Stoica mundi exustione. Dif. 414.

## XII

ex iis, quae apud veteres philosophos de παλιγγενεσίᾳ occurunt, mortuorum resuscitationem, qualē nostra sanctior doctrina docet, neutiquam colligi posse, sufficiat ostendisse.

Succedat iam altera huius loci quaestio: qualis παλιγγενεσία in oraculis diuinis doceatur, quam theologumena nostra explicabunt. Natura hominē corrupta esse, omnibusque plane, ad bene agendum, desitui viribus, res est ex sanctiori disciplina satis superque nota, quam ipsa quoque nostra nos docet, atque aliena experientia. Ira cum animus humanus sit comparatus, universali indiget emendatione, nouaque quasi generatione, ut salutis per CHRISTVM partae particeps fieri, atque ex dei voluntate viuere possit. Sicuti enim naturali generatione hominis natura i. e. vis eius operandi, quatenus has, neque alias operationes effectui dare potest, suam accipit originem: ita, cum homini diuinitus nouae, melioresque bene agendi vires conceduntur, nouaque quasi natura induitur, renasci s. regenerari dicitur. At fiducia, in CHRISTI redemptione reponenda, hominibus noua haec vita conferunt: fides enim in CHRISTVM omnium bonorum operum fons est. Ex hac causa fidei collatio renatio s. regeneratio dicitur. Hac significatione diuus PAULLVS παλιγγενεσίας vocabulo vtitur, cum de λετέρᾳ παλιγγενεσίᾳ ipfi sermo est. 23 Sacro enim lauacro s. baptismate hominibus haec fides infantibus conferunt, quos propterea renasci, dicit. Eadem igitur est haec παλιγγενεσία cum ἀναγέννησι, de qua diuus PETRVS loquitur: 24 gratias agimus deo, patrīque domini nostri Iesu Christi, qui nos pro sua singulari misericordia - regenuit (ἀναγέννησας ἡμᾶς) in viuidam spem. Quid, quod optimus ipse seruator confirmat: qui denuo natus non fuerit,  
eum

23 Tit. III, 5

24 1 Petr. I, 3

eum non posse diuinum regnum videre. 25 Addit deinde: noli mirari, quod tibi dixerim, vobis esse renascendum. (γενηθῆναι ἀναθεῖναι) Propterea haec παλιγγενεσία mentem hominum potissimum renouat, eiusque nouam quasi natuitatem indicat.

Supereft vero adhuc altera huius παλιγγενεσίας in sacris litteris significatio, quae ancipites aliquantum tenet illarum interpres. PETRO interroganti IESVM: nos reliquimus omnia, teque secuti sumus: quid ergo hinc adsequemur? ita respondit: hoc vobis confirmo, vos, qui me secuti estis, ἐπὶ τῇ παλιγγενείᾳ, ὅταν καθίση ὁ νέος ἐπὶ δόδεκα θρόνοις, καίνουτες τὰς δώδεκα φυλὰς τῇ Ισραὴλ, in renouata vita, quam sedebit homine natus in suo glorioſo tribunalī, ſeffuros effe vos quoque in duodecim tribunalibus, iudicantes duodecim tribus Iſraelitarum. 26 Interpretum plurimi, de vniuersali reſurrectione et de nouissimo iudicio sermonem hic effe, ſibi perſuadent, adeo ut παλιγγενεſta vniuersalem iſtam reſurrectionem signiceret. Quod si vero cogitamus, PETRVM de praemiis, in hac vita conſequendis, interrogasse, praetereaque homines, in Mefliae regno qui ſunt, κανονὶς κτιſeis alibi appellari, PAVILLO teſte: proinde ſi quis in Chriſto eſt, is noua res eſt. Vetera praeterierunt, ecce noua facta ſunt omnia: 27 facile in illam ingrediemur ſententiam, Mefliae hic regnum indicari, poſt CHRISTI reſurrectionem inchoandum. Syrus quoque interpres hanc vocem nouum ſaeculum interpretatus eſt, Iudeis-que familiarius fuit nihil, quam ut Mefliae tempora ſaeculum futurum dicerent, quod ex IOSEPHO et PHILONЕ ſuſius probat GROTIUS. 28 Suis igitur ſectatoribus pol-

B 3 lice-

25 Ioan. III, 5. 7.

26 Matth. XVIII, 27. 28.

27 2 Cor. V, 17.

28 in Critic. Angl. ad locum

Matth. XVIII, 27. 28. Tom.

III. p. 602.

XIII

licetur IESVS: proximum mibi regi honorem occupabitis,  
et praeficiam vos reliquis in meo regno. Simili allegoria alio  
loco vtitur IESVS: ego regnum, quemadmodum mibi pa-  
ter meus legauit, sic vobis logo, vt comedatis et bibatis in  
mea mensa in regno meo, et in tribunalibus sedeatis, ius di-  
centes duodecim tribubus Israelitearum. 29 Multae sane  
funt, eaque maximi momenti res, quas diuinus noster  
seruator, suum regnum παλιγγενεσία appellans, nos do-  
cere voluit. Pristinum enim cultum leuiticum in suo re-  
gno cessare, antiquum in illo esse deponendum, nouos  
homines, nouosque mores illud desiderare, ad christia-  
nam libertatem compositos, planeque renatos, nouaque  
v a omnia ibi exsplendescere, indicat. Florentissimam  
igitur regni sui conditionem accommodatus vix discipu-  
lis suis ob oculos ponere potuisset, quam sub hac παλιγ-  
γενεσίᾳ, imagine.

Ex his, quae haecnenus a nobis disputata sunt, satis  
apparere arbitror, παλιγγενεσία neque in sacris litteris  
mortuorum resurrectionem significare, quam τὴν τὰν re-  
νεῶν ἀνάστατη ibi appellari, constat. Tantum igitur abest,  
vt gentium philosophi ex sua de παλιγγενεσίᾳ doctrina  
mortuorum resurrectionem colligere potuerint, vt ne il-  
la quidem ex παλιγγενεσίας vocabulo, in sacris litteris  
obvio, probari satis possit.

Firmissima vero alia nobis scriptura sacra suppeditat  
huius doctrinae argumenta, quae hic pertractare, longum foret. Vnum tamen prae reliquis hoc tempore,  
quo reditus ad vitam dominici celebramus memoriam,  
nostram meretur attentionem, quod ex quorundam sen-  
tentia ex IESV CHRISTI resurrectione perit. Sunt sci-  
licet, qui putant, nisi CHRISTVS ex mortuis surrexisset,  
nullam mortuorum resurrectionem locum habuisse. Hanc  
igit-

29 Luc. XXII, 29. 30

igitur ut fructum s. effectum resurrectionis C H R I S T I con-  
siderant. Cumque eius resurrectio ad redemtionis opus  
sit referenda, qua illud a deo approbatum, confirmatum  
ac consummatum s. omni numero absolutum declaratur:  
mortuorum resurrectionem C H R I S T I merito deberi, ne-  
que absque illo futuram fuisse, sibi persuadent. 30 Non  
desunt ita sentientibus argumenta, magnam veritatis spe-  
ciem prae se ferentia, quae paucis, plura enim huius  
scriptionis angustiae vetant, sub iudicium nostrum voca-  
bimus. Primo loco in subdium vocant apostoli verba:  
*quod si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resur-  
rexit.* 31 Argumentantur itaque: si C H R I S T V S ex mor-  
tuis surrexit, futura est mortuorum resurrectio; quod  
diuinum scribam expressis quoque verbis dixisse, putant:  
*quod si Christus ex mortuis surrexisse praedicatur, qui sit,  
vt quidam apud vos mortuorum resurrectionem fore, negent.*  
32. Sed hunc ratiocinandi modum ex dialecticis prae-  
ceptionibus paullisper explorabimus. Diuus apostolus  
connexa s. hypothetica enuntiatione in suo ratiocinio vti-  
tur: si mortuorum resurrectio non est, neque Christus  
surrexit. Iam falsum est posterius, ergo et prius. A  
negato itaque posteriori ad prioris negationem recte

con-

30 Haec sententia in nostra A-  
cademia ab H E N R I C O B O E-  
T H I O , qui ab anno M D L  
XXXIX. MDCXXII hic the-  
ologiam docuit, publico olim  
propofita est in Tract. de re-  
surrectione, vtrum ea virtute  
meritorum et resurrectionis  
C H R I S T I , an ex cauffa qua-  
dam alia futura fit. Impu-  
gnauit vero illam F R I D E R I-  
C V S B A L D V I N V S , theolo-

gus Vittebergenfis , contra  
B O E T H I U M disputans in Cen-  
sura super hac quaefitione. Et,  
quamvis quidam theologi ,  
B R O C H M A N N V S atique B O E-  
T H I O accederent, a pluribus  
tamen haec sententia impro-  
bata est. v. Q V E N S T E D T I  
System. Theol. P. III. Cap.  
XVIII. Sect. II. Qu. III. p. 594.

31 i Cor XV, 13.

32 vers. 12.

concludit. In toto hoc connexo ratiocinio expositionis s. propositionis maioris connexio (consequentiam logici dicunt) inquirenda erit; si mortuorum resurrectio non est, neque CHRISTVS resurrexit, et, illam aliam non esse, apparebit, quam vt ab impossibili mortuorum resurrectione ad resurrectionem CHRISTI adiuvatorē concludat. Vniuersalis enim mortuorum resurrectio cum redditus CHRISTI ad viram, actū facti, rationem non contineat, seu cum non sit eius principium fiendi, vt philosophi loquuntur; quod nemo temere dixerit: si huius θέσεως connexio adesse deberet, de sola possibili resurrectione hic sermonem esse, vt sit tantum principium essendi, (sic philosophis loquendi data scilicet est potestas,) dicendum erit. Verba quoque ἐν ἦστιν hunc sensum sponte admittunt: ἐστιν enim apud Graecos saepius idem est ac διάβατος ἐστιν. 33 Quas praecedunt apostoli verba: *quod si Christus ex mortuis surrexisse prædicatur, qui sit, vt quidam apud vos mortuorum resurrectionem fore negent, de eadem solum impossibili mortuorum resurrectione intelligenda sunt, quam verba ἐτι καίσατος νεκρῶν ἐν ἐστιν, mortuorum resurrectionem διάβατος εστιν, quoque indicant.* Quod si vero inde argumentantur: si CHRISTVS ex mortuis surrexit, futura est mortuorum resurrectio; plus ex apostoli verbis colligunt, quam illa permittunt. A sola enim possibilitate ad existentiam concludunt, quod virium tirones fugiunt. Ita rationes suas subducere debuissent: si CHRISTVS ex mortuis surrexit, mortuorum resurrectio ad diabatā minime referenda est.

Deinde quoque apostoli verba huc trahunt: *vt enim per Adamum omnes moriuntur, sic per Christum omnes resuiscunt. 34 Cum igitur ADAMI culpa mors mundum in-*

<sup>33</sup> Vid. not. 4. neque opus est, <sup>34</sup> i Cor. XV, 22. *resuiscunt* fuisus id h. l. probare

## XVII

trauerit, CHRISTI merito resurrectionem deberi, putant. Sed scripturae sensum non intelligunt, qui ita cogitant. Primo enim loco bene hic obseruandum monemus, longe alio verbo sacrum scribam hic vti, quam quo vtitur, de mortuorum resurrectione si sermo est. Non dicit ἐγέρθησατ, 35 neque ἀναστάται, 36 sed adhibet vocem ζωονηθήσονται reuinificant, viui reddentur, quae numquam de mortuorum ὀντοσται adhibetur, sed vel de spirituali, vel de vita aeterna. Ita enim alio loco idem PAULLVS: ut quum delictis effemus mortui, συνεζωποίσε τῷ χριστῷ, reuocauit nos in vitam cum Christo. 37 Deinde mentem suam luculentius adhuc ipse apostolus declarat, non de vniuersali resurrectione, sed de resurrectione in vitam aeternam ipsum loqui, si addit: 38 sed suo quisque in ordine, primicie Christi, deinde Christiani in eius aduentu: deinde finis erit. Qui enim fieri potuisset, vt ne verbo quidem improborum resurrectionis mentionem inieciisset, si de vniuersali resurrectione locutus fuisset. Videmus igitur, ex his verbis nihil aliud sequi, quam resurrectionem hominum ad vitam aeternam CHRISTO deberi, quod omnes concedimus: sed tunc caueant sibi isti interpres a sophisimata sensus compositi et diuisi, neque quae coniungenda sunt, diuidant, et diuidenda coniungant, quod hic commissum esse, logices peritus facile deprehendet.

Vltimo denique loco ista verba sua faciunt: peccati stipendia mors est, CHRISTVS vero sua redemtione mortis vim infregit, peccatiisque stipendia meruit, atque adeo mortuorum resurrectio illi debetur. Sed, quis non videt, eadem prorsus ratione inde colligi posse, atque adeo hominibus omnino non esse moriendum. Sed quomodo

C  
CHRI

35 Matth. XII, 42. XVII, 23.      Act. XX, 30.  
 XXIII, II.      37 Eph. II, 5.  
 36 Luc. XI, 32. Marc. X, 34.      38 I Cor. XV, 23.

## XVIII

CHRISTI meritum hominibus usui esse potest, qui illud per totam suam vitam repudiarunt? Quis nescit, non mortem, sed post mortem infelicia fata, CHRISTO seruatore, sublata esse, mortem, quem theologi et spiritualem dicunt et aeternam. Quamuis igitur naturalis mors iis non amplius poena sit, qui CHRISTO adhaerent, atque adeo et ab hac poena liberati sint fideles: manet ramen iustum malorum supplicium, quod illorum resuscitatione infandam sentiet accessionem. Sed finiamus hanc disputationem, quae alius mundi, hinc parum proficuum quaestione tractat, verbis DANHAVERI, theologi maximi:

40 resurrectio absolute, prout praescindit a salutari, et non salutari, non est effectus meritorum Christi: quia, quod est fructus meritorum Christi, id absque interuentu meritorum Christi non evenit. At euensis damnatis resurrectione, si maxime filius dei menquam fuisse incarnatus: quia nullus fructus meritorum Christi absque fiduciali apprehensione in hominem cadit. At damnati resurgent, et si fide non apprehendunt resurrectionem Christi. Est tamen resurrectione Christi causa resurrectionis ad vitam, quamvis actu pauci potiantur.

Sufficit vero, ciues dilectissimi, CHRISTI resurrectionem, cuius pie hodie celebramus memoriam, aeternae nostrae vitae esse causam. Quam effemus infelices, CHRISTVM ad vitam rediisse, nisi certissime nobis constaret! Quantas igitur deo debemus gratias, quod huius nobis ad vitam redditus dominici maxima reliquit monumenta. Illo peracto nos de salute, nobis parra, sumus securi, nec mortem amplius extimescimus. Id enim nobis habemus persuasissimum, nunc neque nos in terrae visceribus mansuros, sed in vitam aeternam prodituros esse. Hac spe nutriti mortis atrocitatem superamus, quae in nostro, nostrorumque obitu optime sic ex animis

39 Rom. VI, 23.

40 in Hodosoph. p. 745.

## XVIII

mis nostris expellitur, resurrectionem si cogitamus futuram. Quo maximo solatio olim carebant gentes, a vero deo alienae, suaque culpa adhuc nostris diebus illo destituuntur, qui a fide nostra aberrant infeliciter. Meliori profecto via Thessalonicenses suos, atque adeo universum christianorum coetum se consolari non posse, cogitabat diuus PAULLVS, quam si in amicorum morte, cerram resurrectionem ob oculos ipsis poneret. 41 *Nolo, inquit, ignorare vos, fratres, de iis, qui obdormierunt, ne cruciemini, ut ceteri, qui spem non habent.* Si enim credimus, Iesum mortuum esse et resurrexisse, ita deus eos etiam, qui per Christum obdormierunt, ducet cum eo. Hoc igitur nobis potissimum agendum est, ut suo quaque ordine ac tempore, a deo praefinito, in CHRISTO obdormiscamus. Ut vero ira affecti animo hanc vitam cum aeterna commutare possimus, opus omnino est, ut, dum viuimus, vera fide cum CHRISTO vniatur. Per vestram igitur vos salutem hortamur, C<sup>D</sup> his diebus ita vtamini, ut haec fides in animis vestris accendi, ali augerique possit. Verbo diuino hoc fieri, non ignoratis, nisi obicem ponamus, eique ad animum nostrum ingressum occludamus. Consecrati sunt festi, quos viuimus iam, dies verbi diuini publicae praedicationi, qua vobis universa illa doctrinarum compages proponetur, quae fidei vestrae alimenta ministrant. Elapsis enim hebdomadibus postquam perpetiones, quas CHRISTVS nostro commendo in se suscepit, a praeconibus diuinis nobis traditae fure, quae ipsae nostra nobis peccata, eorumque aeterna supplicia, in memoriam reuocant, nosque ad veram poenitentiam agendam excitant, nec non IESVM nobis in crucem sublatum vnicum hominum redemptorem representant, et demonstrant: hisce nunc diebus docebimini,

C 2

eum-

41 1 Thess. 1111, 13. 14.

eumdem hunc IESVM mortuum a mortuis vere surrexisse,  
 resuscitatumque vniuersam suam ἐγκυλοπαιδείαν abundantius  
 veram demonstrasse, qua nostra niti fides debet. Agite  
 igitur, C· D· tam fidei cupido animo christianorum sacra  
 frequentate, attenteque ardentissimas inter preces verbum  
 dei contemplantes, domique pio animo repentes, cor-  
 da vestra spiritui sancto aperiatris, qui in vobis fidem  
 hanc solus operari potest. Maxime vero id vobis religi-  
 oni ducatis, diuinias in vobis operationes frustrari, vos  
 que omni illa priuare vtilitate, quae ex CHRISTI resur-  
 rectione in nos redundat. Certissime vero haec vos in-  
 felicitas premeret, si vitii indulgere, animumque alienis  
 negotiis distinere volueritis. Deo igitur, eiusque cultui  
 vos toti consecrate, nihilque habecatis antiquius, praef-  
 stantius nihil, quem vt vos etiam resurrectionis CHRI-  
 STI summa participetis commoda. Hanc vestram παλιγ-  
 γενεσίαν nos omnes vobiscum laetabimur, animoque tran-  
 quillo et fiducia pleno, vniuersalem istam, quam olim  
 deus felicem nobis esse, faustamque iubeat, exspectabi-  
 mus totius mundi, corporumque nostrorum παλιγγε-  
 νεσίαν. P· P· in Academia Iulia Carolina, d. IIII  
 Idus April. A· I· S· MDCCXLII



AB: 153369



56



*B.I.G.*

DE

Π Α Λ Ι Γ Γ Ε Ν Ε Σ Ι Α ,

PHILOSOPHVMENΑ ET THEOLOGVMENΑ

S A C R I S A N N I V E R S A R I I S

R E D I T V S A D V I T A M D O M I N I C I

A · I · S · M D C C L X I I

IN

A C A D E M I A I V L I A C A R O L I N A

P. P

HELMSTADII

F O R M I S L I T T E R A R V M S C H N O R R I A E V I D V A E

A C A D · T Y P O G R